

ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire ne malum ex actione sua secutum perseveret. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 364.

Hinc 1^o qui inculpabiliter subiecit ignem domui alienae, quando advertit ad incendii periculum, ex iustitia illud impedire tenetur si possit; 2^o pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex iustitia emptorem monere debet; 3^o item qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea cognitio errore, illum corrigere; et ni faciat, peccat graviter, et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quae ex hoc proveniunt.

663. — QUAER. 4^o *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed iam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. Affirm., saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie praecognitum. Sic, v. gr. si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea eius effectum impedire non possit, utut facti poenitens maxime velit; damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. — *Ita communiter* (4).

QUAER. 5^o *An reparari debeat damnum PER ACCIDENS quidem, sed vacando operi illicito, illatum?*

Resp. Neg., quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in con-

(4) Hinc fit, ut retractatio ne illud quidem impediatur, quominus nempe effectus postea sequutus forte inducat irregularitatem aut aliquam censuram. Quod quidem iam advertebat Suarez (*De Peccat.* disp. 3. sect. 4. n. 7.), et Lugo deinde (*De Poenit.* disp. 16. n. 445.) uti communem sententiam tradit: *Quantumcumque* (inquit) *de facto retractetur voluntas praeterita, adhuc, si postea subsequitur effectus mortis, incurreret irregularitatem aut excommunicationem qui dederat venenum, iuxta communem fere omnium sententiam, quam si non fuisset retractata voluntas: quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius....., unde absolute denominat homicidam; alioquin non redderet irregularem.*

Neque valet ratio, quam contra ex Salmanticensibus (*De Cens.* cap. 1. n. 155.)

refert S. Alphonsus (lib. 7. n. 40.), quod nempe censurae non ferantur nisi in contumacem; talem autem non esse, qui malam voluntatem iam retractaverit. Respondetur enim, contumaciam voluntatis, quae requiritur ad censuras incurrendas, eam esse, qua quis sciens et volens legem transgreditur, non vero defectum retractationis ante ultimum effectum; neque enim censura punit peccatum malae voluntatis perseverantis usque ad effectus consummationem, sed peccatum voluntatis mortem per causae positionem inferentis, licet expediret, sapienterque ab Ecclesia provisum sit, ut poena eiusmodi non incurreretur nisi effectu sequuto, ne scilicet ob incertum eriminis eventum incerta esset censura, neve contingeret, ut haberetur ceu excommunicatus ob homicidium ille, qui deinde detegebatur non reus homicidii, cum mors sequuta non esset.

fuso quidem praevisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad iustitiae rationem nihil pertinet. Sic Clericus, qui venationi contra Ecclesiae prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis iniustitiae reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *iniustae* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret. — *Ita communissime.* — Vogler, n. 170. — Lugo, d. 8. n. 72. et 82. — S. Lig. *Hom. Apost.* n. 39.

664. — QUAER. 6^o *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. gr. si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui?*

Resp. Affirmandum videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam scilicet actio iniusta, causa damni efficax, et culpa theologica. Nec dicas, actionem tuam non esse iniustam relative ad Caium, cuius damnum noluisti; nam rem istam omnino determinatam, destruere intendebas: porro eam destruendo suscepisti onus eandem reparandi. Nihil porro refert, cuiusnam sit; nam quaestio non est de *nomine*, sed de *re*. Error igitur non afficit actus *substantiam*, sed quid mere *accidentale*. — *Ita communiter*, ut fatetur S. Lig. etsi dissentiat. — Vogler, n. 202. — Bonacina. — Sanchez. — Busemb., etc.

Nonnulli tamen *negant* cum S. Alph. n. 629., nempe Lugo, D. 17. n. 75. — Lacroix, n. 200. et seq. — Ratio eorum est, quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum, cum processerit ex inculpabili ignorantia iuris eius. Haec autem ratio ex dictis parum valere videtur (5).

(5) S. Alphonsi doctrina hoc inniti videtur principio: *Ut ad restitutionem tenearis, requiritur et sufficit, ut actio tua damnificans sit simul affective et effective, seu formaliter et materialiter iniusta: quorum si alterutrum deficiat, cessat restituendi obligatio.* Atqui haec actio est materialiter et formaliter iniusta.

Sane S. Alphonsus (lib. 3. n. 556.) cum Busembaum ita definit et distinguit iniuriam materiale, et formale: *Iniuria damnosa est duplex, scilicet materialis, ut v. gr. cum quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet bona fide,*

idest probabiliter iudicans id sibi licere, vel esse suam; formalis, qua quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet mala fide, idest, cum sciat vel scire possit ac debeat, id sibi non licere, et rem non esse suam. Vid. Less., Laym., Bonacin. Porro ut insistamus exemplo, quo et S. Alphonsus (lib. 3. n. 629.), utitur, quisque incendit ac destruit domum amici, putans eam esse inimici, hic profecto non ignorat, domum, quam destruit, esse alienam, idque esse verum, etiamsi non sit illius, cuius esse illam credit. Ergo sciens et volens incendit ac destruit rem, quam scit non esse suam.

665. — **QUAER.** 7^o *Ad quid teneatur ille, qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. gr. defectu advertentiae, etc.?*

Resp. Probabilius ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque

Atqui ex definitione haec non materialis, sed formalis est iniuria damnosa.

Argumentum autem, quod contra afferri solet (Vid. S. Alph. II. ec.), nempe ab occisione amici, qui putabatur esse alius, scil. inimicus, abesse dolum, quia nullo modo intendeas occidere Paulum amicum; quin potius nulla ratione occidisses, si nosses, eum esse Paulum amicum, hoc (inquam) argumentum sic praecoccupaverat iam Molina (tom. 4. Tr. 3. disp. 30. n. 5.): *Ad argumentum (ait) contrariae opinionis neganda est consequentia. Quoniam licet homicida ille dolum non habuerit comparatione Pauli, habuit tamen dolum quoad occisionem illam, quatenus cuiusdam hominis, quem, praeter existimationem interficientis ita iniuste et cum dolo, occidit esse Paulum. Satis autem est, ut homicidium illud fuerit simpliciter cum dolo commissum.*

Quam responsionem Molina (ibid. n. 2.) confirmat ex L. *Eum qui* 18. §. 3. *De iniuriis*, ubi sic legitur: *Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Caius Seius, praevalet quod principale est, iniuriam eum mihi facere velle; nam certus ego sum, licet ille putet, me alium esse, quam sum, et ideo iniuriarum (actionem) habeo.* Subdit autem Molina: *Ubi vides, quod mihi iniuriam irrogans putet me esse alium numero hominem, quam sim, non tollere culpam eius, neque eum excusare a poena; quia revera intendit iniuriam facere, doloque eam facit.*

Rem vero sic prius explanaverat (ibid.): *In ea Pauli interfectione duo sunt spectanda. Unum est interfectio hominis iniusta: alterum vero est, huius in*

singulari, puta Pauli... Interfectio autem illa, quatenus rationem habet interfectionis hominis iniustae, dolosa fuit, quia facta fuit ex intentione homicidium circa eum hominem committendi; per accidens autem est, ut ea interfectio rationem non habeat homicidii dolosi, quod terminata sit ad hunc in singulari.

Confirmatur et declaratur cum eodem Molina (ibid.): Quando (ait) in delicto quopiam adest scientia delicti coniuncta cum ignorantia invincibili alienius circumstantiae, quae delicto vel gravitatem vel diversam speciem addit; tunc ignorantia illa sicut excusat a culpa, quae ex circumstantia illa resultat, ita excusat a poena, quae circumstantiae respondet. Sed sicut haec ignorantia non excusat a culpa pro ea parte, cuius scientia adest, ita nec a respondente poena et consequentibus oneribus excusare potest.

Et hinc patet, quousque valeat id, quod reponit post alios S. Alphonsus (l. c.): *Respondetur (inquit) id procedere in foro externo, ubi praesumptio scientiae personae laesae stat contra laedentem, cui fides minime praestatur, si asserat, alium voluisse offendere.* Non enim in foro externo damnatur et punitur delictum praesumptum, sed delictum patratum in iniusta occisione hominis, quisquis hic fuerit. Quinimo adeo a vero ablutit, forum inniti eiusmodi praesumptioni scientiae, et non habere rationem eiusmodi erroris, ut expresse iura contrarium statuunt. Ita (L. *Illud* 3. §. 4. ff. *de iniuriis*): *Si quis hominem liberum ceciderit, dum putat servum suum: in ea causa est, ne iniuriarum teneatur.* Et rursus (L. *Si cum servo* 4. ff. eod. tit.): *Si cum servo meo pugnum ducere*

sub gravi, neque sub levi: 1^o non *sub gravi*; gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2^o neque *sub levi*; quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. — Ita S. Lig. n. 552. — Lugo, D. 8. n. 56. — Vogler, n. 109. — Lessius. — Roncaglia, etc.

Alii tamen eum obligant ad totum damnum sub gravi reparandum. — Alii ad totum quidem, sed sub levi. — Alii tandem ad aliquam partem tantum, iuxta culpae proportionem. Sed maxima iucommoda hae sententiae videntur inducere.

666. — **QUAER.** 8^o *An qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si damnum illatum est *eidem personae*, licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum. Porro totum damnum libere illatum est, et insuper grave est in hypothesi; ergo illud totum (6) sub gravi reparandum est. — Vogler, n. 124. et 126. — Lugo, D. 8. n. 69. etc.

Resp. 2^o *Neg.* autem *probabilius*, si damna minuta diversis personis illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur et ex alia parte damnificator re aliena non ditescit (7). Hinc differt casus

vellem, in proximo te stantem invitum percusserim: iniuriarum non teneor. Habet igitur et forum externum huius erroris rationem. Discrimen tamen inter praecedentem et hunc casum, innuit optime in nota Gotofredus: *Nam (inquit) mihi animus fuit vacandi rei legitimae, idest, puniendi servi.* Et praeverat Molina (l. c. n. 3.) inquit: *Is, qui ita percutere intendebat suum servum, nullam intendit facere iniuriam, sed iure suo utebatur, punire volens servum suum.* At vero dici non potest, usum fuisse iure suo, aut iniuriam facere non intendisse illum, qui inimicum voluit occidere seu percutere, aut inimici sui domum voluit incendere. Quisquis autem sciens, se damnosam iniuriam per actum suum inferre, libera omnino voluntate eam infert, consectoria sane actionis suae utique formaliter iniustae in se suscipit.

Ostendi hic facile posset, qua via et Tamburini, et Sporer, et nonnulli alii post

ipsos, in transversum acti fuerint argumentis quibusdam mere petitis ab aliqua paritate, quae sane facillime deprehenditur claudicans. Verum haec argumentum brevi Notae idoneum esse nequeunt.

(6) Monet tamen S. Alphonsus (lib. 3. n. 553.), quod *sufficit ad vitandum mortale, ut restituatur tantum materia illa parva, gravem materiam complens, ut probabilius tenent Sanchez, Lessius, Vasquez etc.*

(7) Iam alias adnotatum est, furti pravitatem non in eo consistere, quod quis ex re aliena ditescat, sed quod ditescat *iniuste*. Porro haec iniustitia residet in iuris alieni violatione, quae eodem modo adest, tum si ex alieni iuris violatione quis ditescat, tum si non ditescat, quia, v. gr. vel rem surreptam statim absunit, vel amittit, vel destruit, aut damnum infert nihil sibi assumendo. Et cum iuris alieni violatio secum trahat eiusdem iuris reparandi obligationem, haec adest et

praesens a quaestione simili relata supra n. 630., quia fur ditescit ex furtis minutis, non vero damnificator.

QUAER. 9^o *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. gr. si quis proiciat in mare gemmam alterius valentem 100, dum credit eam 10. tantum valere?*

Resp. Probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. — S. Lig. n. 613. — Elbel, n. 90. — Vogler, n. 189. — Carrière, n. 1151. contra alios.

Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando ob maioris pretii suspicionem saltem in confuso obortam totum damnum evadat voluntarium.

667. — QAER. 10^o *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si ex culpa theologica in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex iure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut praecavere debet, ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2^o Seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante iudicis sententiam, ut patet ex principio II, n. 659; bene vero prolata sententia, ut ex principio III constat.

QUAER. 11^o *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. 1^a SENTENTIA *probabilior negat*, quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandam excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. — S. Lig. n. 537. et l. 2. n. 45. — Salmant. — Laymann. — Sanchez. — Lugo, etc.

II^a SENTENTIA *affirmat*, quia praebens pravum exemplum cum prae-

adesse debet, tum si violator inde evaserit ditior, tum si ditior non evaserit. Quae cum ita sint, quoad rem praesentem palam esse debet, eum, qui pluribus per minuta damna nocuit ita, ut simul collecta damnorum omnium materia censeri gravis debeat, in eadem prorsus conditione versari, eademque propterea restituendi obligatione constringi, tum si ex singulorum furtorum materia ditior evaserit, tum si

nihilo magis factus sit dives, quippe qui aut paulatim surrepta statim consumpsit, aut nocuit aliis nihil sibi surripiens. Ergo si qua restituendi obligatio inest ob minuta damna pluribus illata paulatim per furtula, e quibus ditior quis factus fuerit, eadem obligatio adesse dicenda est, etiam quando ex illatis damnis nulla damnificanti utilitas accessit. Eadem enim utrobique prorsus ratio militat.

visione contagionis haberi potest ut causa efficax damni; quippe aliquo modo influit in determinationem eorum, qui damnum inferunt: et experientia docet, homines magis moveri exemplis quam consiliis, iuxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt.* — Antoine, p. 2. c. 3. qu. 13. — Billuart, diss. 8. — Cuniliati, etc.

668. — QAER. 12^o *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an damni causa ipse fuerit?*

Resp. 1^o Si dubium versetur circa existentiam damni, probabilius ad nihil tenetur, modo post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ratio est, quia cum factum damni non sit certum, non potest producere obligationem certam illud reparandi. Constat ex hoc principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Item ex hoc alio principio: *Factum non praesumitur, sed probari debet.* — Ita S. Lig. n. 562. — Lacroix, n. 574. — Vogler, n. 73 et alii communius contra nonnullos.

Resp. 2^o Si dubium versetur circa influxum actionis in damnum, quod certo evenit, controversitur, et duplex est sententia *probabilis.* — Ita S. Lig. *ibid.*, etc.

Probabilius tamen urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat, quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificam posuerunt: repugnat enim innocentem debere certo pati, eo quod non constet, cuinam damnum sit imputandum. Sic duo homines simul in tertium glandem explodentes videntur obligandi pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, quamvis compertum sit, hunc ab alterutro tantum laesum fuisse. Nonnulli tamen eos a restitutione omnino excusant, sed minus firmis argumentis id contendunt (8).

669. — QAER. 13^o *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione iniustae actionis tuae v. gr. si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

Resp. 1^o *Neg.* certo, si damnum illud non praevideris. Patet ex dictis supra in principio II, n. 659.

(8) Differt quadantenus quaestio, quam postrema hac paragrapho tangit Auctor, ab illa, qua S. Alphonsus (lib. 3. n. 562.) disputat, *utrum in dubio, an tuum consilium, sive mandatum, consensus, recursus, palpatus, taciturnitas etc. fuerit causa damni etc., tenearis ad restitutionem.* Nam in hac S. Doctoris quaestione adest certus aliquis, qui ad restitutionem tenetur, v. gr. executor. Contra

vero in quaestione ab A. proposita id videtur deesse. Exinde huic resolutioni Auctoris opponi possent non quidem ea, quae S. Doctor habet cit. n. 562., sed quae idem tractat n. 657. et 658., ubi *de restitutione ob adulterium*; quam peculiarem quaestionem cum et A. agitet infr. n. 733., huic loco explicationem quaestionis praestat reservare.

Resp. 2^o *Neg.* etiam *probabilius*, licet damnum hoc praevideris. Ratio est, quia actio tua, posita cum sola damni praevisione, non illius causa *per se*, sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II^o principio, *ibid.* Excipe, si quando tales fuerint circumstantiae, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. — S. Lig. n. 635. — Lessius. — Lacroix, n. 157. etc., contra alios.

Resp. 3^o Imo probabiliter etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur; quia semper haec actio est tantum causa damni *per accidens*, et non *per se*; non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut iniustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii iniustum non est (9). Excipiendum tamen est, si quis iis uteretur mediis, quae gravissimam suspicionem alterius accusandi praebeant, v. gr., si vestibus eius indueretur ad homicidium patrandum, has sanguine foedatas proiiceret, etc. — S. Ligor. n. 656. — Lessius. — Vogler, contra alios.

670. — *QUAER.* 14^o *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1^o *Probabilius* ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, secluso casu concursus, quia nullius ius strictum violavit. — S. Lig. l. 4. n. 106. — Vogler, n. 241., et alii communiter.

Resp. 2^o Ratione electionis *indigni* tenetur certo erga societatem de omnibus damnis exinde provenientibus. Ratio est, quia censetur adesse pactum strictae iustitiae inter societatem et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. — *Ita communiter.* — Vogler, *ibid.* — S. Lig. *Hom. apost. tract.* 13. n. 39.

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis minus digni, etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligare titulo *iustitiae commutativae* ad digniores eligendos. — Vogler, n. 243. — *Hom. apost. ibid.*

671. — *QUAER.* 15^o *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedit a consecutione alicuius boni vel beneficii?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si proximus habeat ius strictum ad rem obtinendam, v. gr. in casu concursus.

Resp. 2^o Si proximus non habeat ius strictum ad rem consequendam, distinguendum est: 1^o affirmandum, si *mediis iniustis* id impediatur, v. gr. *vi, fraude, calumnia, metu*, etc...; 2^o negandum vero, si impediatur *mediis in se iustis*, v. gr. *suasione, precibus*, etc. Ratio est, quia

(9) Alias advertimus cum Card. De Lugo, huius doctrinae patronos difficultatibus eiusdem, mere mutata facti specie, eo adigi, ut posthabere eam non dubitent. Quod idem notandum occurrit ad ea quoque, quae infr. ad Q. 16. dicuntur.

nullum ius alterius tunc violatur, nec *in se*, nec *in mediis*. — *Ita communiter.* — *Hom. apost.* n. 61.

QUAER. 16^o *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. gr., ex odio, seclusis tamen mediis de se iniustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod ius strictum non habet?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia nulla iniuria proximo inferitur. Etenim ad iniuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni iniusti sit. — S. Lig. n. 584. — Elbel, n. 108. — Antoine, qu. 15. et alii communiter contra alios.

672. *CASUS.* — 1^o Didacus vas crystallinum Cui valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed Basilius hac eadem nocte domum sine lumine ingrediens in vas offendit, illudque frangit. Quid iuris? — *Resp.* Nec Didacus, nec Basilius ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte deest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel eius periculo. Imo nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum praevidisset; quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur. — Vogler, n. 177., et alii communiter.

2^o Quirinus pannum furari intendens, officinam nocte ingreditur, et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, nimirum saltu felis, candela in paleas deicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de Quirino? — *Resp.* Ad nihil tenetur, quia minime periculum praevidit. Imo nec tenetur de panno, quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset, quia etiam illud damnum est involuntarium; nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelae proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. gr. candela accensa, pannus combureretur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quae casu fortuito apud furem perit. — Ita Lugo, d. 18. n. 88. — Vogler, n. 178. — Lacroix, n. 165. et seq. — Reuter, n. 320., etc.

3^o Pomponius, animo vindictae impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram Mauri in praedio domini placide pascentem; sed loco caprae illaesa attigit et occidit vaccam Marini post sepem, ipso prorsus ignorante, iacentem. Ad quid obligandus sit Pomponius? —

Resp. Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra praedieta, cum illaesa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus praeviderit. Quid autem si vacca ad eundem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator tali personae damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat rem specialiter intentam, cum in ge-

nere inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem domino formaliter iniuriosa videtur. Attamen sistendo in rigore principiorum, adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum praeviderit. Dici enim potest, mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit, ut rei prorsus ignoratae damnum evadat voluntarium. Secus tamen, si volens generatim inimico nocere, quantum posset, varia obiecta damnificanda aliquatenus in confuso cognovisset (10). — *Recole dicta* n. 659. et 669.

4^o Sidonius videns Iustinum praetereuntem, putansque esse Titium, dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum *primipilus*!... Sed est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quaer.* Quid Sidonius, detecto errore? — *Resp.* Dicta retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in Iustinum haec dixerit; et ni faciat, omnia damna, quae ex diffamatione subsequuntur, reparare tenebitur. — Reuter, n. 320. et alii communiter.

5^o Babinus Rogerium moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem Pauli iam conditum, ut ipse, vel amicus, aut consanguineus heres constituatur. Determinatur autem Babinus ad id agendum praeter proprium, vel amici commodum, ex inveterato odio, quod contra Paulum fovet. An iniustitiae reus sit Babinus? — Nequaquam, Etenim licet propter odium graviter contra charitatem peccaverit, non tamen iustitiae virtutem videtur laesisse, quia nullum ius Rogerii strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo Paulo herede, ut alius quilibet eius loco constitueretur. — Elbel, n. 115. — Antoine, c. 4. qu. 15. — *Recole dicta*, n. 671. — V. *Casus*, n. 627. et seq. (*).

ARTICULUS III. — DE INIUSTA COOPERATIONE.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

(10) Nempe si cognovisset, ex glandis explosione damnum aliquod, utcumque a se non clare cognitum, sequi forte posse. Nam si nihil adsit, unde Pomponius putet, fieri posse, ut per explosionem inimico noceat, actus procedet ex ignorantia concomitante, atque adeo vaccae occisio erit involuntaria sin minus *contrarie*, saltem *negative*, erit scilicet *non voluntaria*.

(*) Quaesitum est: utrum christifidelis, qui sciens et volens delubri muros, ianuas, implementa diruit et perdit, atque ab Ethnicis ea de causa capitur, debeat vel possit damnum sarcire, saltem ex alio titulo. Respondit. S. I. C. 21. Sept. 1842. *teneri ad restitutionem titulo iustitiae*. Quod non perinde est ac dicere, teneri ad restaurandum templum.

§. I. De iubente.

673. — *Iubens* seu *mandans* dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat.

Iubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet (1). Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit. Ad hoc autem requiritur, ut egerit tanquam verus dominus, seu ut per vim, metum, vel auctoritatem, mandatarium moraliter coegerit (2).

674. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit, antequam damnum fuerit illatum?*

Resp. Neg., si revocatio innotescat mandatario ante executionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat: quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. — Ita Vogler cum pluribus aliis.

QUAER. 2^o *An mandans teneatur de damnis, quae mandatario in mandati executione obveniunt?*

Resp. Affirmat Lacroix, cum aliis, quia mandans, damnum iubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum, in quo mandans per vim, aut metum, alium coegit. Secus enim mandatarius videtur sponte in se suscepisse totum onus et illius consecutaria; et nisi pactum de indemnitate praecesserit, mandans tantum ex quadam aequitate tenebitur.

QUAER. 3^o *An mandans teneatur reparare damnum, quod executor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Neg. Quia vera damni causa est error mandatarii (3). — Ita Vogler, n. 279, et alii communiter.

(1) Mera facti approbatio nihil pertinet ad rationem *mandati*, atque adeo qui mere iam factum approbat, *mandans* dici neque debet, neque potest.

(2) *Mandatum* videtur Auctor accepisse pro morali quadam coactione seu necessitate agendi alteri imposita. At longe hoc distat a notione mandati, quod a iuriconsultis et theologis definiri solet *contractus bonae fidei consensu constans, quo negotium alteri id suscipienti gratis committitur* (*). Nihil igitur huc spectat, num mandans sit mandatarii Superior, aut quovis alio titulo in mandata-

rium quasi in subditum auctoritate polleat. In definitione autem vox *gratis* additur, quae non respuit quidem *honorarium* seu *salarium*, sed tantum *mercedem* stricte sumptam, quae mandatum in contractum conductionis transferret: quamquam in delictis mandatum latius accipi solet, ut amplectatur etiam conductionem, v. gr. sicarii ad tertium occidendum.

(*) Ita pariter in C. C. I. art. 1737.

(3) Excipiendum tamen, si forte nimis difficile fuerit errorem cavere. Licet enim omnes consentiant, mandantem non teneri de damnis, quae mandatarius intulerit ultra